

bus: Quos, ajunt, percipere sola elementa panem & vinum: non etiam corpus & sanguinem Domini. Et Paulinam phrasin, qua illos dicit reos fieri corporis & sanguinis Domini, & non discernere corpus Domini, sic exponunt, ut corpus positum intelligatur pro sacramento sive signo corporis, nempe pane.

12. 8. Ex blasphema quorundam Calvinistarum voce, de sanguine Christi in cruce effuso: quem dicunt computruisse. Quicquid enim computruit, & amplius non existit, illud non potest esse pars sacrae cœnae essentialis, neque potest verè bibi.

13. 9. Ex argumentis Calvinianorum, quæ nostræ sententiæ de vera & substantiali præsentia corporis & sanguinis Christi opponunt. 1. De proprietatibus veri humani corporis, ejusq; quantitate sive dimensione & loco naturali. 2. De abitu ex hoc mundo. 3. De ascensione in cœlos. 4. De visibili reditu ad judicium. 5. de absurditatibus quas dicunt consequi ex nostra sententia: quæ quidem sunt varia, & ex iis nonnulla, ut pius animus horreat earum meminisse. Quæ quidem argumenta omnia eò tendunt, ut substantialis & vera corporis & sanguinis Christi cum pane & vino præsentia in cœna, quæ in his terris celebratur, omninò negetur, ut patet.

14. 10. Ex approbatione Calviniana eorum scriptorum, qui sese opposuerunt veræ doctrinæ de vera & substantiali corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentia: ut Berengarii (ante Palinodiam) Wiclefi, & similium.

15. 11. Ex Calviniana allegatione Patrum: quorum illa dicta nobis opponunt, quæ absentiam corporis Christi videri possint stabilire. Quorum quidem varia sunt genera.

16. 12. Ex Calviniana depravatione quorundam dictorum D. Lutheri, Brentii, & aliorum sinceriorum Doctorum: quæ eò torquent, ut videri debeant confirmare corporis Christi à cœna absentiam.

Ex